

passionem a quocumque contrario, sicut cœlum est incapax recipiendi passionem ab agentibus corporeis, et corpora gloriosa habent participative modum cœlestium corporum: *Qualis enim cœlestis, tales et cœlestes*, ut dicitur 1 Corinth. xv. Vel etiam per hoc quod resistunt, et respuunt quodcumque contrarium virtute spiritus continentis, et conservantis corpus, sicut Angelus assumens corpus licet formet illud ex aere, potest vi sua ita detinere, ut quodcumque agens contrarium respuat et repellat, quia habet vim superantem quodcumque agens corporale; sic anima habet tantam vim in spiritu, quod a corpore quod informat potest repellere quodcumque agens contrarium, ideoque dicitur, quod tunc surget corpus spirituale, id est, vi spiritus omnino fortificatum, et ei subjectum, non alienæ passioni. Unde ex fortitudine corporis gloriosi super omnia agentia corporalia colligit S. Thomas eorum impassibilitatem in additionibus, quæstion. LXXXII, articul. 1, in argumento Sed contra secundum. Et ex eo, quod anima perfectum dominium habet in corpus, licet relinquat in materia potentiam ad aliam formam, tamen ligat eam per victoriam animæ super corpus, ut nunquam in actu pati a contrario possit, ut dicit ibidem solutione ad secundum et tertium. Unde vis animæ reddit corpus incapax patiendi a contrariis, non efficiendo carnem duram, plusquam ferrum vel aurum, sed ligando potentialitatem materiæ ad contrarias formas, aut qualitates ipsas supernaturaliter perficiendo, ne contrariis cedant, aut eis miscantur, et impulsui aliorum, ut resistant ne dividatur corpus.

XVII. Tertio inquires, quomodo sensus externi possint exercere suos actus sive aliqua passione, alteratione, aut divisione, præsertim in

odore gustu, et formatione vocis. Respondetur supponendo, quod sensus etiam externi exercebunt ibi functiones suas, easque perfectissimas, et delectabilissimas, alias maneret vita sensitiva in beatis omnino imperfecta, et sicut truncum mortuum, quod non decet tam perfecta corpora, essent enim in imperfectiori statu, quam nunc sunt. In exercitio autem sensuum duplex operatio intervenire solet, scilicet intentionalis, quæ fit per emissionem specierum ab objectis, et receptionem repræsentativo modo in sensibus, quam receptionem, et immutationem in omnibus sensibus intervenire, ostendimus in libris de anima. Alia operatio est cum immutatione naturali alterativa, et corruptiva, sicut in tactu, et in gustu sentitur immutatio ab objecto, etiam cum alteratione fieri, quia objectum physice conjungitur sensui. Sed hæc secunda immutatio per se non requiritur ad sensationem, dummodo adsit prima: sicut videmus visum, et auditum percipere objecta sua, etiamsi non immutentur realiter a colore quem videt, aut sono quem percipit. Et ideo de istis duobus sensibus non est difficultas, quod in beatis erunt sine ulla passione alterativa. Et Christus Dominus post resurrectionem suam, videbat suos, et audiebat illos, et loquebatur cum eis, et tactum habebat, dixit enim discipulis suis, Lucæ XXIV: *Palpate, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere*: et Joann. XXI, dixit Thomæ: *Affer manum tuam, et mitte in latus meum, etc.* Quæ actiones non probassent veritatem carnis resurgentis, nisi tangibilis esset, sicut ante. Quod si tangibilis erat manibus discipulorum, quidni manibus ipsiusmet Christi?

XVIII. De odoratu, gustu, et tactu

quæ videntur exigere aliquam majorem alterationem, dicimus in primis odoratum futurum in beatis, non solum quantum ad ipsam potentiam odorandi, hæc enim non deerit ipsis, sicut nec sensus ullus, quia pertinent ad integritatem corporis, sed etiam in actu; licet enim post diem iudicii, non sint futura corpora odorabilia in hoc mundo, quia nulla erunt mixta, quæ solum odoris sunt capacia ex mixtione quatuor primarum qualitatum provenientis, tamen in ipsis beatis corporibus erit inæstimabilis odor, cui accommodari potest illud Psalm. XLIV: *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis a domibus eburneis*, corpora enim sanctorum sunt quasi vestimenta, et domus animarum. Et in assumptione Virginis canit Ecclesia: *Cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus*. Et in hujus signum etiam modo sanctorum cadavera, et sicca ossa solent suavem spirare odorem; quomodo ergo illum amittent in gloria? Quod et communiter patres, et doctores affirmant.

XIX. Cæterum ille odor licet subjective sit in ipsis beatis corporibus, non tamen per exhalationem, aut fumum resolvetur, et medium ipsum afficiet reali alteratione, sicut apud nos fit in rebus odoriferis, sed ita vivax erit ille odor in ipsis corporibus, ut sine tali evaporatione possit ex se emittere species odorabiles; nam etiam apud nos, cum odor sentitur a longe, diffunduntur species ultra quam diffundatur fumea exhalatio, et alteratio illa realis, ut ex D. Thoma probavimus in libris de anima, exemplo vulturum, quæ a longissimo tractu cadavera odorant, quo non pervenit alteratio illa exhalatoria. Sicut ergo ex illa fumea exhalatione immediate erumpunt species odorabiles, ita ex corporibus beatis erumpunt, quia tam

vivacem, et perfectum odorem in se habebunt sine illa exhalatione fumosa, sicut apud nos cum illa, res odoriferæ; ideo enim modo requiritur illa resolutio, et exhalatio, quia ut dicit D. Thomas quæstione LXXXII citata, articul. v ad tertium, odor habet aliquando humiditatem aliquam adjunctam, a qua supprimitur, præsertim si frigore constipetur, et sic indiget resolvi calore, ut maneat odor in sua vivacitate ad emittendum species. Ubi ergo odor fuerit sine ista imperfectione, sed cum omnimoda vivacitate, ut in sanctis, immediate diffundet species sine alteratione physica. Nec solum per aerem aut aquam diffunduntur istæ species, sed etiam poterunt diffundi per cœlum, quia cœlum non habet aliquid contrarium speciebus intentionalibus odoratus, sicut nec speciebus visus, vel auditus; nec enim ista diffusio petit alterationem physicam et realem, quæ solum repugnat cœlo. An vero requiratur respiratio ad percipiendum odorem? Negative resolvimus in libris de anima, ut patet in piscibus intra aquam odorantibus, quando scilicet animal non respirat; beati autem respiratione non egebunt, cum sint intra cœlum, ubi non est aer.

XX. Difficultas tamen esse potest, quomodo istæ species transeant ad sensus beatorum, ad visum, vel auditum, vel odoratum, si beati ponantur supra convexum cœli empyrei, ut de corpore Christi sentit D. Thomas, III part. quæst. LVII, art. IV ad secundum, quia ascendit super omnes cœlos. Ibi autem est vacuum, quia ultra illud convexum non est aliquod corpus, per quod transeant species. Respondetur quod corpora beata, vel ascendunt super convexum, ita ut totaliter ab eo discedant, et amoveantur; vel saltem superficiem ejus tangunt, eique sunt



contigua. Si primo modo, certum est species a corporibus disjunctis, et distantibus non posse connaturali modo ad eos pervenire, id est, transeundo per medium, quia tunc non datur medium, sed vacuum. Posset tamen Deus sine transitu per medium species ponere in sensibus, et tunc si objecta sint præsentia, poterit circa illa exerceri sensatio, etiamsi medium desit, quia medium solum requiritur pro trajectione specierum, quæ suppleri potest a Deo. Præsentia vero objecti requiritur ex parte formalitatis objecti, ut intuitive cognosci, et sentiri possit, quod est de ratione sensationis externæ, quia essentialiter est experimentalis cognitio. Si autem corpora beatorum sint in ipsa superficie cœli, eique contigua, poterit trajectio specierum fieri ab objectis per medium a corpore cœli empyrei, per ipsum corpus beati ascendendo, etsi non fiat per lineam rectam, sicut postulant species visibiles (audibiles enim, et odorabiles etiam a tergo, et a latere, et transverse ferri possunt, ut experimur) sed oblique contra modum suum connaturalem, Deo id præstante, vel etiam faciendo supernaturaliter, quod corpora sine medio immediate producant species in sensu corporis positi supra illud convexum, aut Deo se solo illas ponendo, aut conservando in sensibus.

XXI. Quod vero attinet ad actum gustus, certum est post diem iudicii, non futurum ex appositione, et manducatione ciborum, qui non erunt, quamvis non desit corpori beato facultas illos comedendi, sicut Christus Dominus vere, et vitaliter comedit post resurrectionem suam, ut veritatem carnis suæ demonstraret, inde enim illam probavit Petrus Apostolus Actorum II: *Oportuit manifestari testibus præordinatis a Deo, nobis, qui cum illo*

*manducavimus, et bibimus, etc.* Ad hanc autem sensationem ponunt communiter theologi futurum in lingua beatorum humorem aliquem incorruptibilem suavissimi saporis, omnem vitæ hujus saporem superantis, cujus meminit D. Thomas quæstione LXXXII citata, articul. v, et in IV, distinct. XLIV, quæstion. II, articul. I, quæstiunc. v, et alii communiter auctores in IV, distinct. XLIX. Ibi Sotus quæstion. IV, articul. v, Richardus, Major, et alii quos citat Ægidius III tomo, lib. IV, quæstion. IX, articul. I, §. III. Non tamen humor ille faciet in ore alterationem physicam de novo, sed solum intentionalem per specierum immissionem, seu perpetuam conservationem earum in lingua.

XXII. Quoad tactum non est dubitandum fore in beatis, cum in eis sensus tactus non desit, neque objectum tangibile, nam ipsa corpora gloriosa tangi possunt, sicut de suo corpore dixit Christus: *Palpate et videte*, imo et alia corpora tangibilia sentire possunt, quia non minus erga alia viget sensus tactus in eis, quam erga propria corpora. A nullis tamen accipient physicam alterationem, quæ corruptiva est, sed solum intentionalem, id est, species tangibiles, sine quibus tactum non exerceri ostendimus in libris de anima.

XXIII. Quod tamen in eo habet difficultatem, quia in hac vita tactus non potest percipere aliquid tangibile, nisi ab eo alteretur mutatione reali, et non solum intentionali, ea enim ratione manus non sentit calorem sibi æqualem, et ejusdem intentionis, licet ejus speciem recipiat, quia ab eo non alteratur. Quomodo ergo separatur in tactu beatorum, ita quod intentionalis immutatio sufficiat sine reali? Sed dicimus alterationem physicam in ipso tactu factam a tangibili, non

esse de intrinseca ratione sensationis tactus, sed concomitanter se habere, quando est inter corpora capacia alterationis, ex eo quod ad tactum requiritur per se contactus corporum. Ex contactu autem, et approximatione sequitur alteratio, id est, actio et passio, quando ipsa corpora passibilia sunt. Si vero non sint passibilia, aut non sint in statu patiendi, solum sequetur immutatio intentionalis specierum, non alteratio physica: sicut etiam in damnatorum corporibus non erit corruptio, quia cessante motu cœli, omnis generatio, et alteratio cessabit. Causa autem, cur tactus non sentiat æqualem calorem, sed excedentem, est quia talis calor positus supra carnem non potest discerni a proprio temperamento propter omnimodam similitudinem cum illo. Et ideo sicut a proprio temperamento, et calore carnis non immutatur de novo sensorium tactus, nisi ipsum temperamentum immutetur, ut cum sanguis nimium effervescit; ita neque immutabitur tamquam ab aliquo novo a qualitate adveniente, si omnino sit æqualis ipsi temperamento, seu calori in carne existenti, quia est ejusdem rationis. Quod utique currit sive sit ipse tactus capax alterationis physice, sive non; nunquam enim rem ita similem et conjunctam poterit discernere ab alia æque simili et conjuncta, licet species emittat, et quia non discernit, non videtur illam sentire, sicut nec propriam carnem.

XXIV. Quod attinet ad formationem vocis in beatis, difficultas non est ex parte ipsorum, habent enim omnia requisita ad formandam vocem, scilicet linguam, dentes, labia, fauces, etc. et de facto Christus Dominus loquebatur post resurrectionem suam apprensus, et loquens eis de regno Dei. Et beati post universalem resurrectionem, si descende-

rint ad hunc mundum inferiorem poterunt in aere isto loqui, sicut nos modo percutiendo aerem lingua, et faciendo sonum, sicut descendendo per aerem, aut ambulando illum, dividunt sine corruptione alterativa aeris, sed solum dividendo. Tota difficultas est quomodo in ipso cœlo existentes, ubi non est aer, nec corpus aliquod, quod percuti possit, et sonum facere, vocem formabunt, et deferetur sonus, supponendo quod probabilius est, cœlum non esse corruptibile, neque divisibile, neque fluidum, sed solum corpus, et spissum, sicut sol, et stellæ apparent, licet reliquum cœlum sit diaphanum, sicut crystallum. Unde de ipsis cœlis dicitur Job XXXVII: *Qui solidissimi quasi ex ære fusi sunt; licet aliqui illud verbum solidissimi intelligant non de soliditate, ut opponitur fluido, sed ut opponitur corruptibili, et infirmo. Qui tamen valde improprie sumunt verbum solidissimi, nec bene aptant comparisonem illam quasi ex ære fusi.*

XXV. His ergo suppositis est difficultas, in quo corpore ibi formetur vox, et sonus corporalis a beatis. Quæ quæstio non tangit in aliquo impassibilitatem beatorum, quia percussio illa, et divisio in corpore sonante, non fit in ipso beato, sed ab ipso in alio corpore, et ideo ipse semper manet impassibilis, licet active dividat aliud corpus. Breviter tamen dicimus, sine dubio etiam in cœlis futuram locutionem beatorum, alias ibi essent omnino muti, et sine convictu, et communicatione externa sensibili. Et hoc communiter tenent glossæ expositores in illud Psalm. CXLIX: *Exaltationes Dei in gutture eorum*, et communiter patres consentiunt: et Apocalypsis. XIX dicitur: *Audivi quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium alleluia, etc.*



XXVI. Omissis ergo fictitiis quorundam imaginationibus, qui in cœlo empyreo ponunt cavitates aere plenas, aut aerem penetratum cum ipso cœlo, vel etiam cœlum ipsum linguis beatorum esse frangibile, aut posse sine fractione, et percussione corporis fieri sonum, quæ omnia a vera philosophia absunt; supposita incorruptibilitate cœli, et superioritate loci ad omnia elementa, etiam ad aerem qui ibi esse non potest, nisi contra suam naturam, dicimus corpora beatorum, cum in cœlum ascendunt aliquem deferre aerem elementalem in ore, naribus et pulmonibus, aliisque similibus cavitatibus, non ad respirandum, quia respiratione non egebunt ad refrigerandum cor, et conservandam vitam, sed ne illæ cavitates sint cum vacuo, sine aliquo corpore replente. Quod necesse est omnino ponere, nam corpus Christi quando ascendit in cœlum, et corpora beatorum, cum ex aere ascendunt, in ore, et in naribus, et faucibus, seu pulmonibus aliquem aerem deferent, si quidem illæ cavitates non erunt vacuæ, neque repletæ alio corpore quam aere, quia hic poterant loqui, et aperire os; neque vero compressæ inter se erunt illæ partes, et sine aere, neque erant in Christo sic cum erat corpus gloriosum in hoc mundo, si quidem illa compressio partium non est connaturalis ipsi dispositioni corporis humani: manebunt ergo illæ cavitates plenæ aere. Cum ergo corpora illa ascendendo perveniant ad spheram ignis, non est dicendum, quod aer ex cavitatibus illis ejicietur, et intrabit ignis, quia non est decens, neque debitum, ut igne elementali cavitates illæ repleantur, estque eadem difficultas de igne, atque de aere. Cum vero inceperint penetrare cœlos, aer ille (vel ignis si intra cavitates illas esset) non poterit

exire; tum, quia non est corpus quod loco eorum repleat illas cavitates; cœleste enim corpus non fluidum quod possit illuc intrare, sed solidum quod potius constiparet, quam repletet illas; nec potest pars cœli dividi ab aliis, ut intret in os beatorum loco aeris; tum, quia aer ipse, qui in ore beati defertur, non potest inter partes cœli dilabi, aut cum eis misceri, cum cœleste corpus non admittat elementarium corporum commixtionem, nec poros habeat, seu cavitates plenas alio corpore, in quibus aer esse possit.

XXVII. Posito ergo aere intra fauces, et os beati poterit in illo fieri refractione, et sonus a lingua, et dentibus beati, quia ad vocem non requiritur aer externus, sed intra palatum formatur vox etiam impedita aere externo per admotionem manus, vel alterius corporis, dummodo non impediatur labia, et lingua moveri. Et sic refracto aere, et formata voce intra os, intentionales soni species per corpus cœli deferentur ad aures alterius beati, sicut species visibiles deferuntur, et sic fiet locutio et auditio. Ita sumitur ex D. Thoma in II, dist. II, q. II, articul. II ad quintum, quem sequuntur communiter recentiores. Videatur Suarez, tom. II, in III p. disp. XLVII, sect. VI; Ægidius III tom. de beatitudine, lib. IV, quæst. II, art. VII, §. II. Si tamen beatus extra totum cœlum ponatur in vacuo, non poterunt species audibiles deferri, nisi Deus faciat illas sine medio produci in aure distantis.

XXVIII. Obstat nihilominus huic resolutioni. Primo, quia cogimur ponere elementale corpus, nempe aerem supra cœlos, quod videtur ipsi dispositioni universi contrarium (ut diximus) quia omnia corpora elementalia infra cœlestia sunt. Nec dici potest, quod ille aer non est elementalis, sed informatus

forma animæ, sicut aer ille, qui est intra aures in quo fit auditio, quæ est tenuis quædam substantia. Contra enim est, quia aer qui est in ore, vel faucibus beati est ejusdem rationis cum aere nostro, et potest exire, et intrare in os beati, quando fuerit in isto elemento aeris, ut fiebat in corpore Christi, nec anima beati informare debet aliud corpus, quam quod informavit in hac vita propter identitatem corporis resurgentis; esset autem aliud corpus, si informaret illam substantiam aeream. Ut omittam, quod si informatur ab anima gloriosa ille aer, debet habere dotes gloriæ, et ita esse impassibilis; ergo et infrangibilis, sicut et cœlum ipsum, nec aptus ad formandam vocem, quæ divisione aeris fit. Secundo, fit ex hoc difficultas; quia aer ille supra cœlos delatus, ipsa fractione dividitur; ergo corrumpitur, quod est contra illum statum, in quo nulla erit corruptio. Tertio, si in illo fit locutio, oportebit respirationem ponere in beatis, quia vox formari non potest nisi aer intra fauces, seu arteriam vocalem existens per musculos thoracis comprimatur, et emittatur usque ad os, et ibi repercutiatur. In beatis autem non datur respiratio, quia hæc cum aliqua passibilitate fit, scilicet comprimendo, et dilatando partes, quod aliquam postulat addensationem, et rarefactionem; et præsertim, quia compressa arteria vocali, et pulmone, non est aer, qui subintret loco aeris emissi; ergo manebit vacua.

XXIX. Ad primum respondetur, nullum esse inconveniens, quod ita immutata natura supernaturaliter, quod corpora humana, quæ sunt ex elementis formata ratione gloriæ elevantur supra cœlos, etiam aliquid elementalis corporis eis deserviens, ac ministrans, ne in illis corporibus detur aliquod vacuum,

elevetur supra cœlos ob eandem gloriam corporis humani, tamquam instrumentum eis deserviens ad gloriam Dei, et convivendum socialiter in cœlo. Quod vero ille aer sit animatus, et informatus anima, extra omnem probabilitatem est: esset autem inconveniens, quod naturaliter poneretur aliquis aer elementalis intra cœlum empyreum super alios cœlos.

XXX. Ad secundum dicitur, illum aerem fractione dividi, iterumque adunari, quod non est corruptio simpliciter, quia eadem facilitate, qua dividitur, iterum copulatur; nec compressio illa partium, et addensatio fit per qualitatem densitatis, quæ sit corruptiva, sed per solam situalem partium compressionem, aut laxationem: sicut etiam beati post diem judicii, si descendant ad hunc mundum, dividunt aerem, vel aquam motu suo, et ibi fiet compressio, et laxatio partium, atque divisio sine corruptione simpliciter, quæ tendit ad generationem, sed secundum quid, quæ est per quantitatis divisionem non omnimodam, sicut si corpus solidum divideretur, sed per compressionem, et laxationem corporis fluidi.

XXXI. Ad tertium dicitur, quod vox formatur per compressionem pulmonum, et arteriæ vocalis, quando ille, qui format vocem simul respirat; tunc enim oportet majori vi movere pulmonem, et vocalem arteriam ut simul attrahat aerem, et emittat, ex illoque formet vocem. Quando autem non datur respiratio, potest sine compressione gutturis, et arteriæ frangi, et percuti aer, qui est in ore, qui fractus, et manet idem tanta velocitate, quanta iterum fit refractione. Sed quia aer ille in ore beati existens continuatur cum eo, qui est in gutture, et in arteria, et ex motu quo movetur ille qui est in